



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Mauricius Imperatori se opponit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

recipere volebat, quam ut qui rebellionis Saxoni fuerat socius, comes quoque eiusdem fortunæ esset.

Saxonis quidem vita diu in ambiguo hæsit: tandem vero post multam consultationem in eum lata fuit mortis sententia, ut exemplo eius Smalcaldici federis reliquæ præteritæ, tanto facilius ad officium redirent. Ante omnes vero Ferdinandus Rex, iniuriarum quas ab ipso accepisset memor, vitæ gratiam ei faciendam instanter negabat. Cliuensis tamē Brandeburgici & aliorum intercessione, mortis pœna ei remissa est, sed conditionibus paullo ipsa morte mitioribus.

II. Nam & *Electoralis dignitati, præcipuo familie sue decori, tam suo quam filiorum nomine renunciare. & præcipua ditionis sue propugnacula, Vitebergam imprimis primariam septemviralis patrimonij urbem, à qua, post introductum eò Lutheranismum, munienda nunquam hæcenus cessatum fuit; ut & Gorham; aliorum totius ditionis munitissimum propugnaculum, ut perpetuum esset rebellionis monumentum, demoliendum cum omni tormentario apparatu, Cæsari tradere coactus fuit. Iussus præterea est Albertum Brandeburgicum & Duces Brunsvicensis sine multa liberos dimittere, nec ullam aduersus eos, ut & Magdeburgicos actionem incipere mouere; tum bona Ecclesiasticis ablata restituere; reliquis bonis ipsius confiscatis & Ferdinando ac Maurilio adiudicatis, ea conditione, ut Maurilius Saxoni eiusque liberi quinquaginta aureorum millia annua dependeret, & eas alienum ad centum aureorum millia solueret: Decretis denique Cæsaris & Imperij obedire.*

Sic igitur bonis & dignitate exutus Saxo, graues rebellionis suæ pœnas luit. Quia vero supplicium & pœna corporis ei remissum fuit, & additum fuit in conditionibus, ut esset in custodia Cæsaris quamdiu ipsi videbitur. In iisdem quoque, ut Sleidanus dicit, perscriptum fuerat, ut quæ Concilium aut Cæsar de religione statuerit, ipse approbaret; quum vero nulla ratione adduci posset ut assentiretur, eam particulam fuisse inductam. Sed Auila scribit, in ijs quæ de religione cum ipso acta sint, Saxonem initio aliquantum fuisse contumacem; quum vero postea magis ex sententia respondisset, Cæsari negociū hoc omitteandum visum fuisse. Mirabilis sane in tanta aduersitate Principis huius fuit constantia, ut qui etiam mortis in se lata & per delictum significata sententia, non modo nullum indignum Principis verbum emisit, sed etiam nihil vultu commo-

tus aut turbatus, incredibilem animi constantiam in omnibus semper præ se tulit.

III. Landgravius quamuis nondum aduerso commisso prælio, nihilo tamen mitius acceptus fuit. Postquam enim de Saxonis captiuitate cognouit, rebus suis diffusus, omnibus cogitationibus à bello ad pacem conuersis, copias vix instructas dimittere cœpit, quæ breui instar niuis disparuerunt: parum memor illius quod olim à multo præstantiori duce dictum fuit, *Numquam nos ullo quantumuis sinistro casu ad eam desperationem adducere debere, ut nullum ei remedium inueniri existimemus.* Poterat enim Landgravius quum ex ijs quas secum habebat, tum ex Saxoniarum copia tum reliquis facile exercitum conficere, seque cum Mansfeldij & Thumserni, qui paullo ante Bricum Brunsvicensis prælio non admodum memorabili fuderant, vltra duo decim peditem, & quatuor equitum millibus constante exercitu coniungere. Saxonis filius tum Gorham se contulerat, arcem ad eum muaritam ut totius orbis vires parum ei formidabiles viderentur: utpote præter incredibilem omnium rerum necessariarum copiam, centum maioribus machinis & tormentario apparatu quantus ad centum octuum millia & ultra satis erat, instructam. Non pauciores Witebergæ fuisse apparatus aiunt, cum tribus præfidiariorum millibus: quibus sane viribus vel ingens poterat admodum distineri exercitus. Quid multis? Nisi Landgravius animus defuisset, poterat sane victoriarum Cæsaris cursum, si non omnino impedire, interrumpere tamen, & cum maiori nominis estimatione vitam suam tueri. Sed malæ religionis, à qua nihil solidi haberet solatij, cultor & nuper insigniter tumens, nunc metu torpens & dies noctesque nihil aliud quam de venia consequenda cogitans, hoc fortunæ debuit ludibrium, ut cum suo dedecore, alterius augetet gloriam.

IV. Halam ergo, ubi Cæsar tum erat, profectus, acceptis & subscriptis conditionibus, captivum se stitit. Conditiones fuerunt: *Ut fœderi Smalcaldico renunciarat: Concilij decretis & Imperij statutis pareret. &c.* Sic ergo in aulam ad Imperatorem throno insidentem deductus, & in genua prouolurus, oculis in terram deiectis (vnde interiores animi motus apparebant) per Cancellarium sic loquutus ferrur.

Serenissime, potentissimo, & inuisibilissimo Princeps, elector, mentissime Imperator, quod Dominus meus Philippus
Hassia

Hæc Landgravius antea bello Maiestatem Tuam graviter offendit, & alios quoque in eandem culpam induxit, sic ut iure in eum vindicare possis, hoc et summo peccare dolet, eoque sicut ante promisit, tua voluntati totum sese permittit, nulla re excepta: ac simul per omnia sacra humiliter obtestatur, ut & pro tua clementia factum ignoscas, & proscriptionis sententiam; iuste in se latam aboleas. & dittonem suam possidendam subditosque regendos ipsi permittas: pro quibus similiter, ut clementer eos in gratiam tuam recipere velis, deprecatur. Vicissim promittit dictus Landgravius, se Maiestatem Tuam semper tamquam supremum & unicum legitimum ab Omnipotente Deo summo omnium Monarcha, sibi prepositum magistratum & dominum, omni honore, fide & obsequio prosequiturum, omniaque que fidelis cliens debet, tam ad Tue Maiestatis quam Imperij servitium, neque contra facturum; hanc denique sibi præstitam gratiam summi beneficii loco habiturum, & cum suis omnia ea que conditionibus cum ipso pactis continentur, fideliter implaturum.

V. Ad hæc Cæsar, ubi deliberasset, per unum ex Consiliarijs suis respondit: Etsi gravissimam pœnam sit meritus, ut & publice constet, & ipse fateatur; se tamen pro sua benignitate & clementia, & quoniam Principes aliqui intercesserint, non recusare quin & à proscriptione liberetur, & neque supplicio quoad sit commertus, neq; carcere perpetuo neq; bonis etiam mulctetur amplius quam sit in formula pacis definitum. ipsius etiam clientibus atque populo sese ignoscere, modopacta servant, & suum hoc tantum beneficium deinceps agnoscant.

Surgenti qui hæc tenus genibus insederat, Landgravio Cæsar neque dextram porrexit, neque ullam benevolentia significationem dedit. Actionis huius spectatores erant Maximilianus Ferdinandi F. Philibertus Sabaudus, Legatus Pontificis, Episcopi & Principes aliquot Germaniæ, Bohemiæ ac Daniæ regum legati, tum duces ac præfecti militares complures: quibus omnibus insolitum fuit spectaculum. Principem tantæ quondam ferociæ, omnisque alieni imperij antea impatientem, nunc alienis genibus ad volutum; adeoque alteram illam Aquilam ad supremum imperij culmen paullo ante subvolantem, iam humi videre deiectam. Eodem vespere Landgravio apud Ducem Albanum custodia ponitur, contra spem à Mauritio & Brandenburgico ipsi factam, qui fore dixerant, ut libertati restitueretur. Idem tamen, omnibus modis brevi sese effecturos uti liberetur, custodiam hanc ægerime ferenti promiserunt.

IV. At culpam sibi ipsi imputare debebat Land-

gravius, qui quum formulam transactionis sua ipse manu perscriptisset, non viderat, licet cautum esset ne perpetuo carcere detineretur, non tamen id obstat quod minus ad tempus ipsi poneretur custodia; eoque eius arbitrium penes illum fore in cuius manus sese tradebat. Quem errorem ipse postea agnovit, quum die quodam, traditis iam artibus & tormentis cum omni apparatu, & centum quinquaginta persolutis, ex pacto, aureorum millibus, ex Albano, Cæsarem non nisi de perpetuo carcere ipsi caville dicente, quæsit, (a) Ecquis tandem futurus esset captivitatis modus, aut quo temporis intervallo illa terminanda esset? Etiam si, retulit Albanus, per quatuordecim aut amplius annos Cæsar te detineat, nihil tamen contra datam fidem feceris. Sed & idem responsi Mauritio intercedenti à Cæsare datum est, nempe quum vitam gratiam Landgravio faceret, perpetuum tantum carcerem fuisse exceptum: ceterum custodiam hanc ad tempus, suo reservatam fuisse arbitrio. Sic alter ille federis Smalcaldici dux & præcipuus belli auctor, sua imprudentia in custodiam incidit: suoque exemplo docuit; per ea quibus sibi homines ad altiora gradum struunt, ad una sæpe ferri ac præcipitari. Secundum hæc facilia omnia Cæsari fuerunt; qui tormenta Protestantibus adempta, partim Mediolanum & Neapolim, partim in Hispaniam misit, partim per Belgium tamquam præ victoriæ manubias & trophæa, distribuit. Deinde Mauritium Electorali dignitati ipso Saxone, è fenestra ceremonias despicente, inauguravit: Mauritius vero domum reversus, ejecto, monstrosa illa Lutheri creatura, Amsdorfio, Julium Pflugium in Numburgensem Episcopatum restituit. Atque hoc modo Protestantium, quibus certissimam Lutherus, paullo ante mortem, promiserat victoriam, ut ex Epistola eius ad Saxonem & Landgravium de Brunsvicensis captivitate apparet, tumor resedit. Vanitatis ille S. Brigittæ vaticinationes arguit; quum tamen ipsius prædictiones multo vanissimæ compertæ sint. Unum ejus infelicitati defuit, quod tantarum turbarum auctorem, cruentum eorum, exitum, viventem intruere atque experiri oportebat.

PRO-

PRO-

a Sleid lib. 19.

Pp